PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. V - N. 1

1973

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 1 IUNIO 1973

EX ACTIS PAULI PP. VI

Constitutio Apostolica

De Sacramento Unctionis Infirmorum 3

Allocutiones

I. *Institutorum Saecularium moderatoribus, qui Romae internationali Coetui interfuerunt* 7

II. *Ad Praelatos Auditores et Officiales Tribunalis S. R. Rotae, novo litibus iudicandis ineunte anno coram admissos* 12

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

S. Congr. pro Doctrina Fidei

Declaratio quoad interpretationem quarundam dispositionum, quae Normis, die XIII Ianuarii 1971 editis, statutae sunt 21

S. Congr. pro Ecclesiis Orientalibus

Decretum: Facultates Religiosis Orientalibus conceduntur 24

S. Congr. de Disciplina Sacramentorum

Instructio de Communione Sacramentali quibusdam in adiunctis faciliore reddenda 29

S. Congr. pro Religiosis et Institutis saecularibus

Decretum circa regiminis ordinarii rationem et religiosi saecularizati accessum ad officia et beneficia ecclesiastica 36

Pont. Commissio Decretis Conc. Vat. II interpretandis

Responsa ad proposita dubia 38

ACTA COMMISSIONIS

I. Coetuum studiorum labores 40

II. Opera Consultorum in apparandis canonum schematibus 42

De Cultu Divino 42

De Institutis perfectionis 47

De matrimonio 70

De Iure Patrimoniali Ecclesiae 94

DOCUMENTA

Indagine psicologica e cause matrimoniali (Card. P. Felici) 104

NOTITIAE 115

De Institutis perfectionis

I. De progressu laborum

1. Quando primam relationem circa labores nostri Coetus Studiorum scribebam, Consultores iam novem sessiones seu coadunationes generales habuerant, in quibus examini subiecerant et approbaverant, non modo Schema Generale et canones praeliminares, sed etiam canones praescripta continentes quae respiciunt materiam vel obiectum Titulorum I, II, III et V Partis Generalis Schematis. Tunc, ut dicebam in fine illius relationis, « formulatio canonum Titulorum VI et VII iam parata erat, sed a Consultoribus Coetus adhuc non fuit approbata in forma definitiva ».[1] Subsequenti tempore quinque aliae sessiones locum habuerunt in quibus tam canones Titulorum VI et VII approbati fuerunt quam complures alii ad Partem Specialem Schematis pertinentes. Si — uti in votis est — perdurante proxima sessione laborum, quae initio mensis maii habebitur, extraordinariae difficultates progressionem laborum non retardabunt, canones in ulteriore sessione examini subiiciendi non erunt multi et forsan revisio generalis totius schematis quoad uniformitatem terminologiae et ad tollendos alios defectus, qui abs dubio habentur, initium habere poterit.

Iter nostrum in recognitione iuris communis, quod instituta perfectionis eorumque sodales respicit, saepe facile non fuit. Materia quam tractamus est sat complexa et peculiaribus difficultatibus non caret, sicut iam exposui in introductione primae relationis.[2] Addenda est novitas divisionis a Coetu nostro adoptatae et etiam indolis canonum recognitorum qui non parum differunt ab illis Codicis vigentis. Propter novam materiae dispositionem, Consultores Coetus amplius non potuerunt Codicis divisionem sequi nec canones illius habere tamquam exemplaria in tractanda materia. Labores tamen alacriter continuati sunt.

2. Methodus laboris et principia directiva a Coetu Consultorum iam fere ab initio adoptata et perdurantibus praecedentibus sessionibus applicata, constanter ab omnibus prae oculis habita sunt etiam in sessionibus subsequentibus. Frequenter, ad petitionem Relatoris, sche-

[1] *Communicationes*, 2, 1970, p. 180, n. 15.
[2] Cfr. *Ibid.*, p. 168, nn. 1-2.

mata canonum ab eodem parata ad trutinam revocata fuerunt et correcta a quibusdam Consultoribus Coetus qui, sub praesidentia Rev.mi Secretarii Commissionis, conveniebant quique efformant sic dictum « Parvum Coetum Consultorum ». Ita factum est ut in sessionibus generalibus Coetus nostri schemata canonum magis perpolita et elaborata proponerentur. Consequenter discussiones, perdurantibus generalibus adunationibus Coetus, abbreviatae sunt et canonum recognitio ordinarie facta est minus laboriosa. Ita etiam grave pondus responsabilitatis Relatoris modo magis aequo ab aliis Consultoribus Coetus participatum est.

Iuxta « Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant » [3] a Synodo Episcoporum adprobata necnon iuxta principia directiva secundum et tertium a nostro Coetu Consultorum statuta,[4] cura specialis adhibita est ut praescripta iuris communis quae respiciunt instituta perfectionis et eorum sodales, conformia essent cum indole peculiari vitae Deo consecratae per professionem consiliorum evangelicorum et ut vitaretur illa arida formulatio canonum quae Codici vigenti imputatur. Item, conati sumus prudenter sed firmiter applicare principium subsidiarietatis ita ut, in iure communi instituta perfectionis respiciente, nonnisi praescripta universalia et flexibilia ponerentur. Ita, defectus sat nocivus legislationis vigentis correctus est et congrua libertas relicta singulis institutis applicandi praescripta tamquam media apta ad missionem propriam in Ecclesia adimplendam et ad continuam renovationem a Patribus Concilii tam commendatam efficiendam.[5]

Huiusmodi legislatio, quae, attentis hodiernis adiunctis necnon placitis Patrum Concilii et S. Sedis,[6] valde idonea est atque veluti unica possibilis apparet, exigit in omnibus institutis perfectionis et eorum sodalibus altum gradum maturitatis et responsabilitatis. Magnum et salutare opus accommodatae renovationis postulat ex una parte tenacem fidelitatem erga propriam vocationem divinam, erga charismata fundatorum et fundamentalia elementa cuiusvis instituti et ex alia attentam considerationem signorum temporis seu mutationis adiunctorum quae periodicam adaptationem in accidentalibus commendat. Haec autem omnia absque seria et adaequata praeparatione perfici non possunt.

[3] Cfr. *Communicationes,* 1, 1969, pp. 79, 80-82, nn. 3, 5.
[4] Cfr. *Ibid.,* 2, 1970, p. 171, n. 3, II-III.
[5] Cfr. Decr. *Perfectae caritatis,* nn. 2, 3, 4.
[6] Cfr. *Ibid.,* n. 3 et Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* in *A.A.S.* 58, 1966, pp. 775-778, nn. 1-19.

3. Dicebam in prima relatione, quod attinet ad canones de bonis temporalibus institutorum eorumque administratione: « Pro momento normae circa bona temporalia eorumque administratione in Institutis perfectionis (Titulus IV primae partis schematis) formulatae non fuerunt. Expectandum enim erat responsum Coetus Studiorum qui normas praeparat quoad ius Ecclesiae patrimoniale ut videretur num pars de bonis temporalibus institutorum eorumque administratione illo in schemate includi deberet ».[7] Coetus tamen ille Studiorum responsum nobis iam dederat negativum. Mens autem eius fuit haec. Instituta perfectionis plerumque praescripta canonica communia quoad bona temporalia eorumque administrationem servare tenentur, salvo tamen iure particulari quod praescripta forsan statuit praeter et ultra ius commune. Attamen, considerata peculiari indole institutorum perfectionis et potissimum exigentiis consilii paupertatis ad cuius observantiam omnes sodales tenentur, iuxta determinationem iuris particularis, necessarium videtur ut in iure quoque communi quaedam accommodata praescripta inserantur inter canones qui normas statuunt pro institutis perfectionis. Quapropter, in sessione undecima nostri Coetus Studiorum huiusmodi canones propositi fuerunt et, post adaequatam discussionem, approbati. De eis pauca dicenda erunt infra.

4. Uti in praecedenti relatione iam notatum est,[8] Coetus noster, usque ad quartam sessionem generalem inclusive, sub nomine « De Religiosis » veniebat et nonnisi post illam sessionem Coetus Studiorum « De Ordinatione Systematica Novi Codicis » deliberavit mutationem nominis illius Coetus et novum apposuit quod usque adhuc in usu est. Nil mirum proinde si omnes canones a Coetu nostro approbati in primis quattuor sessionibus cohaerentem terminologiam praeseferunt cum titulo « De Religiosis ». Haec, plus minusve, concordat cum terminologia Codicis vigentis. Evidenter canones isti sicuti iacent remanere non possunt. Consultores tamen Coetus nostri noluerunt statim manus apponere ad terminologiam mutandam, sed maluerunt ulterius procedere cum formulatione aliorum canonum qui in subsequentes titulos primae et secundae partis schematis generalis poni deberent. Mutatio terminologiae — edixerunt Consultores — facienda erit simul cum generali revisione schematis.

Difficultas tamen orta est cuius solutio determinationem praedictam Consultorum Coetus partialiter mutavit. In fine n. 6 primae relationis

[7] *Communicationes,* 2, 1970, p. 180, n. 13.
[8] Cfr. *Ibid.,* p. 173, n. 4.

sequentia scribebam: « Pars vero specialis schematis, quae, uti ex titulo patet, continere debet praescripta iuris adaptata exigentiis et indoli ac scopo peculiari quarumdam supremarum categoriarum seu specierum in quas genus institutorum perfectionis in Ecclesia nunc dividitur, *modo omnino provisorio delineata est* propter speciales difficultates quas praesefert ».[9] Ceterum, tunc non erat necessaria perfecta determinatio subdivisionum partis secundae schematis generalis quia Consultores suam attentionem dirigere debuerunt parti primae seu generali schematis.

Sed quando prima pars iam parata fuit in omnibus suis titulis, necessarium fuit determinare tam numerum et indolem canonum praeliminarium secundae partis quam ipsam divisionem huius partis. Attenta tamen mutatione tituli vel nominis nostri Coetus Consultorum et consequenter mutatione tituli vel rubricae huius partis iuris communis, valde arduum in praxi apparuit praescripta canonum praeliminarium secundae partis conficere, nisi prius apprime determinarentur canones qui tamquam « *praeliminares generales* » poni deberent. Quapropter, Relatori opportunum visum est, expletis laboribus circa partem generalem schematis, ut simul ageretur et de recognitione canonum praeliminarium generalium, qui in primis duabus sessionibus approbati fuerant post discussionem sat protractam et laboriosam,[10] et de profundiori examine schematis secundae partis et tandem de canonibus praeliminaribus huic secundae parti praeponendis. Haec omnia a Coetu Consultorum examinata et approbata fuerunt partim in sessione duodecima, habita diebus 22-27 mensis novembris 1971, et partim in sessione decima tertia, quae locum habuit diebus 24-29 mensis aprilis 1972.

Expletis quae dicenda erant circa progressum laborum nostri Coetus Studiorum, nunc quaedam dicenda sunt circa capita supra indicata et praesertim circa canones a Consultoribus approbatos inde a sessione nona.

II. De canonibus praeliminaribus generalibus

5. Quamquam, ob circumstantias noviter obortas, necessarium appareat canones praeliminares generales in primis duabus sessionibus Coetus nostri formulatos iterum recognoscere, ut iam supra expositum est, eorum tamen momentum minime negatur et firma manent quae

[9] *Communicationes*, 2, 1970, p. 176, n. 6.
[10] Cfr. *Ibid.*, p. 169, n. 2.

ad rem dicta sunt in prima relatione.[11] Immo, Consultores, in conficiendis novis canonibus praeliminaribus, conati sunt elementa servare quae recte et faciliter adhiberi poterant in ampliata visione ambitus activitatis Coetus quam mutatio tituli vel rubricae secumferre videbatur. Clarum tamen remanet plures ex illis canonibus inter praeliminares servari non posse, etsi forsan in alia parte schematis locum invenire possint. Ita, v. gr. canones qui notiones vel descriptiones continent status religiosi stricte dicti, monachi et eremitae, instituti religiosi, provinciae et domus religiosae, votorum religiosorum, instituti religiosi clericalis vel laicalis, etc. *Numquam enim obliviscere debemus praescripta canonum praeliminarium generalium sicut et omnium canonum primae partis schematis generalis aeque applicabilia cunctis institutis perfectionis cuiusvis generis debere esse.*

6. Canones praeliminares generales recogniti sex enumerantur et continent, veluti in nuce, principia theologico-iuridica vitae Deo per professionem consiliorum evangelicorum consecratae a Patribus Concilii nobis tradita.[12]

Primus canon, omnino fundamentalis pro qualibet forma vitae consecratae, statuit imprimis id quod theologice constituit huiusmodi formam vitae. Est namque totalis dedicatio hominis Deo, ut Christum pressius sequens fidelis novo et peculiari titulo deditus sit ad Ecclesiae aedificationem et mundi salutem atque ad consequendam caritatis perfectionem in servitio Regni Dei. Sic persona consecrata efficitur praeclarum signum in Ecclesia et gloriam coelestem praenuntiat.[13] Haec forma vitae quandam stabilitatem exigit et in institutis a competenti Ecclesiae Auctoritate erectis agitur. Consilia evangelica quae per professionem assumuntur sunt illa traditionalia, nempe, castitatis, paupertatis et oboedientiae, absque quibus vita Deo consecrata in hac forma ne concipi quidem potest.[14] Quapropter, si institutum quoddam vel christifideles vitam suam vel sodalium Deo consecrare cupiunt, non assumptis illis tribus consiliis voto vel alio sacro ligamine firmatis, probe noscant se extra ambitum esse vitae consecratae de qua in nostro schemate et proinde praescripta canonum qui in hoc schemate inveniuntur illa instituta vel illos christifideles non respicere. Minime tamen necessarium est, etsi forsan optandum, ut tria illa consilia explicite nomi-

[11] Cfr. *Communicationes,* 2, 1970, pp. 169, 178, nn. 2, 9.
[12] Cfr. Const. dogm. *Lumen gentium,* cap. VI, nn. 43-46; Decr. *Perfectae caritatis,* nn. 1-2.
[13] Cfr. Const. dogm. *Lumen gentium,* cap. VI, nn. 43-44.
[14] Cfr. *Ibid.;* Decr. *Perfectae caritatis,* n. 1, 6.

nentur in formula professionis vel cooptationis, dummodo de facto in statutis particularibus instituti de quo agitur, quae obligatoria sunt pro omnibus sodalibus saltem post cooperationem, inclusa inveniantur et eorum observantia determinata sit.

Ceteri canones praeliminares varios aspectus vitae consecratae considerant. Indoles charismatica status eorum qui per professionem consiliorum Deo consecrantur affirmatur in secundo canone, in quo etiam declaratur, cum Patribus Concilii, illum statum, quamvis canonicum, per se hierarchicum non esse. Statuitur quoque possibilitas accessus ad illum statum sive laicorum sive clericorum, dummodo a Deo receperint speciale donum vocationis.[15] Tertius canon clare asserit consilia evangelica, in doctrina et exemplis Christi fundata, donum esse divinum Ecclesiae concreditum ad cuius auctoritatem proinde pertinet, sub lumine Spiritus Sancti, consilia interpretari, eorum praxim moderari, leges proprias institutorum approbare et instituta ipsa sollicite adiuvare et promovere.[16] In quarto canone, contra detractores vitae consecratae, solemniter affirmatur renuntiationes liberas bonorum magni momenti quas professio consiliorum secumfert, minime obstare vero profectui personae humanae, sed illum summopere promovere. Consecrati per huiusmodi professionem alieni non fiunt ab aliis hominibus vel inutiles civitati terrenae, sed, e contra, eisdem maxime prosunt tam oratione et sacrificio necnon diffusione nuntii evangelici, quam servitiis admodum variis.[17] Canon quintus praebet notionem instituti clericalis et iuris pontificii et, per oppositionem, instituti laicalis et iuris dioecesani, quia, praeter monastica, instituta sunt vel clericalia vel laicalia. Criterium tamen distinctionis non est praecise illud in can. 488, 4°, Codicis vigentis statutum.[18] Clericalia nempe, iuxta novam disciplinam, erunt illa instituta perfectionis quae in eorum iure particulari assumunt exercitium ordinis sacri et uti talia approbantur a competenti Ecclesiae auctoritate. Tandem in canone sexto statuitur principium aequalitatis inter instituta masculina et illa feminina et inter sodales viros et sodales mulieres, nisi ex natura rei aliud constet.

7. Etiam brevis comparatio inter canones de quibus iamiam fuit sermo et illos qui legislationi « De Religiosis » in Codice Iuris Cano-

[15] Cfr. Const. dogm. *Lumen gentium,* cap. VI, nn. 43, 44.
[16] Cfr. *Ibid.,* n. 45; Decr. *Perfectae caritatis,* n. 4.
[17] Cfr. Const. dogm. *Lumen gentium,* cap. VI, n. 46.
[18] In Codice vigenti nomine « religionis clericalis » venit « religio cuius plerique sodales sacerdotio augentur; secus est laicalis ». Hoc criterium in praxi ansam praebet difficultatibus et dubiis.

nici praeponuntur sufficeret ad demonstrandas notabiles differentias quae inter unam et aliam legislationem habentur. Immo, cum isti canones praeliminares generales fundamentales sint pro universa legislatione instituta perfectionis et eorum sodales respiciente eique — ut vulgo dicitur — tonum conferant peculiarem, comparatio inter duas legislationes dimensionem etiam recognitionis manifestat quam Consultores nostri Coetus Studiorum introducere intendunt et efficere conantur. Canones namque noviter approbati ab illis Codicis vigentis differunt indole, ambitu et expressione. Dum enim Codicis canones, et praesertim cann. 487 et 488, constituunt potius elenchum notionum quae significationes verborum vocari possunt, in canonibus nunc formulatis, et potissimum in primo, substantia continetur vitae consecratae per professionem consiliorum tam sub aspectu theologico et charismatico quam sub aspectu iuridico. Non esset certe erroneum affirmare omnes canones nostri schematis suam radicem et rationem essendi invenire in istis canonibus praeliminaribus. Praeterea, dum in Codice vigenti praescripta canonum respiciunt tantum religiosos et instituta religiosa, in novis canonibus sermo fit de omnibus institutis perfectionis, independenter a categoria ad quam pertinent. Tollitur etiam discriminatio quae in Codice apparet. Non habetur amplius exemplar seu summum analogatum, quod in iure vigenti constituitur ab institutis religiosis et cui omnes alii assimilari debent.[19] Tandem, a formulatione canonum sublata est illa veluti ariditas expressionis quae in canonibus Codicis percipitur. Novae formulationes apte concordant cum principio directivo primo a nostro Coetu Consultorum adoptato, quod ita sonat: « In recognitione iuris religiosorum, canones ita redigantur ut appareat normas iuridicas, etsi thesauros gratiae vitae religiosae nec plene contineant nec multo minus exhauriant, fovere tamen donum Dei vocationis religiosae, adiuvare gratiae opus in animabus Deo dicatis ut ad perfectionem caritatis pertingant ».[20] Et hoc quam maxime videtur concordare cum indole et fine huius partis iuris.

III. De bonis temporalibus institutorum eorumque administratione

8. Iuxta supra exposita, in hac parte iuris communis institutorum perfectionis nonnisi praescripta peculiaria ponenda sunt quae neces-

[19] Cfr. tenorem cann. 673-681 qui praescripta statuunt pro societatibus vitae communis sine votis.

[20] Cfr. *Communicationes*, 2, 1970, p. 170, n. 3, I.

saria apparent propter speciales exigentias istorum institutorum et praesertim propter consilium paupertatis ad cuius observantiam omnes sodales obligantur iuxta determinationes iuris particularis.[21] Hoc ob motivum Consultores Coetus decisionem tulerunt non admittendi inter canones huius Tituli IV, Primae Partis Schematis Generalis omnes minutas praescriptiones quae inveniuntur in Capite III, Tituli X, Libri II Codicis Iuris Canonici,[22] quaeque magna ex parte discriminativae sunt.[23]

Schema nostrum incipit cum affirmatione quae bona institutorum perfectionis ponit inter bona ecclesiastica. Quapropter, sicut alia bona ecclesiastica, reguntur normis iuris patrimonialis generalis Ecclesiae. Propter specialem indolem tamen horum institutorum illud ius patrimoniale non sufficere aestimatur ad ordinandam totam materiam. Unde superadduntur canones istius tituli et salvatur ius particulare quod non modo definire, sed etiam coarctare vel excludere potest capacitatem acquirendi, possidendi et administrandi bona temporalia. Hoc tamen prudenter fiat, attenta indole cuiusque instituti necnon observantia consilii paupertatis quae in quolibet instituto vigere debet. Onus igitur imponitur unicuique instituto ut aptas normas statuat in proprio iure particulari circa usum et administrationem bonorum « ad propriam paupertatem fovendam, tuendam et exprimendam ». Moderatores, tam maiores quam minores, administrationem bonorum communitatis, provinciae, centri, etc., personaliter gerere non possunt, sed hoc facere tenentur per oeconomum, ad normam iuris particularis designatum, qui administret sub auctoritate moderatoris. Ius particulare definire debet modum et tempus reddendi rationem et exhibendi regesta administrationis ab omnibus administratoribus bonorum et etiam determinare, intra ambitum tamen iuris communis, quinam actus excedant finem et modum ordinariae administrationis, quique propria auctoritate ab administratoribus fieri non possunt.

Cum praescriptum can. 1532 iam quasdam emendationes subierit, quae necessariae factae sunt ob mutata adiuncta socialia et praesertim oeconomica, Consultores Coetus Studiorum: « De iure patrimoniali Ecclesiae » statuerunt quod ad validitatem alienationis rei, cuius valor non excedit summam a Conferentia Episcopali definitam pro sua regione, requiritur et sufficit consensus Ordinarii loci. Si vero valor illam summam excedit, consensus Ordinarii debet prius confirmari a Com-

[21] Cfr. *Communicationes*, 2, 1970, p. 170, n. 3.
[22] Cfr. can. 531-537.
[23] Cfr. praesertim praescripta can. 533, § 1, 1°-3°; 535.

missione speciali ad hunc finem ab eadem Conferentia constituta. Consultores tamen Coetus nostri Studiorum, considerata peculiari conditione institutorum, convenerunt ut ex parte tantum propositam recognitionem ab alio Coetu acceptarent. Propterea, sequens proponitur recognitio can. 534, § 1: Si res quae alienatur (vel debitum quod contrahitur) non superat summam definitam a Conferentia Episcopali loci, requiritur et sufficit consensus moderatoris maioris ad normam iuris particularis requirendus et salvis ulterioribus clausulis eiusdem iuris particularis; secus requiritur et sufficit consensus Apostolicae Sedis. Evidenter solutio huiusmodi institutis magis convenit et est magis consona cum conditione in qua inveniuntur.

Tandem praescriptum can. 537, quod licet prudentia non caret, nimis negativum apparet et in commendationem positivam mutatum est. Instituta nempe debent reddere Christo testimonium caritatis et paupertatis coram hominibus ac proinde eis commendatur ut, pro viribus et servatis praescriptis iuris particularis, libenter faciant elargitiones et eleemosynas.

Cum in hac materia Instituta et eorum sodales subsint praescriptis canonum quae a memorato Coetu proponuntur et non parum dependeant etiam a legibus civilibus loci,[24] necessarium non fuit aestimatum hic alios addere canones, magis et amplius cum applicationes legum generalium in hac parte melius fieri possunt a iure particulari cuiusque instituti, cui propterea multa determinanda relicta sunt.

IV. De obligationibus institutorum eorumque sodalium

9. Ex praescriptis quae inveniuntur in Titulo XIII, Libri II Codicis Iuris Canonici, pauca tantum commode aptari possunt ut fiant canones in Titulo VI Primae Partis Schematis Generalis a nostro Coetu Consultorum adoptato cum rubrica supraposita. Et hoc plura ob motiva. Imprimis, in citato Titulo XIII Codicis, cuius rubrica est: « De obligationibus et privilegiis religiosorum », sermo est non tantum de obligationibus sed etiam de privilegiis.[25] Consultores autem nostri Coetus

[24] Iam in codificatione anni 1917 haec quaestio erat sat gravis ita ut Legislator in Codice Iuris Canonici debuit admittere canonem 1529 quo praescripta iuris civilis loci « canonizata » fuerunt in vasto campo contractuum et solutionum. Hodie praescripta iuris canonici in hac materia fere a nulla natione agnoscuntur ac propterea huiusmodi canonizatio necessario admitti debet.

[25] Cfr. cann. 613-625. Re quidem vera, nostris temporibus absonum videtur praescripta conficere quae privilegia in favorem institutorum perfectionis eorumque sodalium statuunt. Hoc vix hodie intelligitur a christifidelibus et minus adhuc ab aliis.

unanimiter decisionem tulerunt ut mentio non fiat in hac parte de privilegiis. Ceterum, privilegia de quibus est sermo in Capite II memorati Tituli XIII, pro maxima parte, sese restringunt ad exemptionem et ad facultatem eleemosynas vel stipes quaeritandi. De exemptione tamen Coetus noster quosdam canones statuere intendit in alio loco, dum quaestio de quaeritandis eleemosynis et stipibus obsoleta videtur. Deinde, inter obligationes religiosorum in Capite I, Tituli XIII enumeratas eminet obligatio clausurae [26] quae spatium certe exaggeratum occupat. Obligatio tamen haec momentum non parvum deperdidit post Concilium Oecumenicum Vaticanum II, quod clausuram papalem coarctavit ad moniales vitae unicae contemplativae.[27] Nos autem de illa agemus quando canones apparabimus moniales respicientes in Parte Speciali Schematis Generalis.[28] Denique, necessarium non apparet hic includere quasdam ex obligationibus ibidem enumeratis — etiamsi adaptabiles sint ad ambitum ampliatum nostri Schematis — et praesertim eas de quibus in Capite III illius Tituli.[29]

10. Schema canonum a nostro Coetu propositum pro hoc Titulo circa obligationes institutorum eorumque sodalium constat octo canonibus in quibus obligationes veluti fundamentales et magis attinentes ad rationem vitae in institutis ducendae statuuntur. Materia horum canonum — et non raro etiam littera — plerumque ex documentis conciliaribus desumitur et potissimum ex Decreto « Perfectae caritatis ». Brevissime ita enucleari possunt. Praecipuum officium cuiuslibet instituti perfectionis est suam veram identitatem invenire et vocationem propriam agnoscere in Christo et in Ecclesia, servare indolem suam iuxta fundatorum spiritum et sedulo prosequi proprium finem, attentis temporum conditionibus.[30] Ex parte sua, sodales mente recolant se professione consiliorum evangelicorum vocationi divinae responsum dedisse ut continuo vitent quae minuere possunt fervorem caritatis et vivere valeant tamquam personae totaliter Deo dedicatae.[31] Suprema

[26] Cfr. cann. 597-607.

[27] Cfr. Decr. *Perfectae caritatis,* n. 16.

[28] Cfr. *Communicationes,* 2, 1970, n. 5, p. 175 (Schema Generale Iuris Recognoscendi « De Institutis Perfectionis »). Notandum est tamen, ut infra explicabitur, Titulum III, Sectionis Primae, Partis Specialis, qui rubricam refert: « De clausura monialium », non amplius apparere in subsequentibus emendationibus partis specialis schematis.

[29] Cfr. cann. 626-631. Agitur de quibusdam obligationibus per se evidentibus religiosorum qui ad dignitatem ecclesiasticam promoventur vel qui paroeciam regunt.

[30] Cfr. Decr. *Perfectae caritatis,* n. 2, b.

[31] Cfr. *Ibid.,* n. 5; Const. dogm. *Lumen gentium,* cap. VI, n. 44.

norma et regula vitae omnium sodalium est sequela Christi, uti nobis proponitur in Evangelio.[32] Cum vocatio ad vitam consecratam per professionem consiliorum evangelicorum speciali modo sodales cum Ecclesia eiusque mysterio coniungat, eis omnibus incumbit obligatio impense diligenterque cooperandi in aedificationem Corporis Christi, iuxta instituti indolem, et Christum ipsum mundo demonstrandi propria vita et opera.[33] Quo melius vocatio instituti eiusque proposita adimpleri possint, institutum tenetur adamussim definire in propria ratione vivendi modum quo consilia evangelica servari debent. Sodales tamen obligatione tenentur non solum consilia observare sed vitam suam iuxta statuta ita componere ut ad perfectionem caritatis contendant.[34] Ex totali dedicatione servitio divino omnium sodalium, descendit obligatio contemplationis et assidui cum Deo commercii. Haec autem absque mediis opportunis, nempe lectione Scripturarum, participatione celebrationi sacrae Liturgiae, oratione mentali et vocali aliisque spiritualibus exercitiis, acquiri non possunt.[35]

Deficere non potest in hoc titulo de obligationibus saltem commendatio ut sodales omnes cotidie participent sacrificio Eucharistico secundum propriam conditionem et sacram Communionem recipiant. Quod attinet ad sacramentum Poenitentiae, ius particulare regulariter normas statuere debet ut frequens accessus non deficiat, attentis tamen consiliis proprii moderatoris spiritus. Tandem, omnes sodales uti debent mediis aptis, tam supernaturalibus quam naturalibus, tam communibus quam instituto ad quod pertinent propriis, ad vitam spiritualem alendam et fovendam; omnes vero suam conscientiam discutiant, sanctissimum Sacramentum visitent et Deiparam Virginem colant. Per fraternam communionem, quae in caritate fundari debet, sint omnibus exemplum universalis in Christo reconciliationis et demonstrent per modum sese gerendi mansuetudinem et modestiam divini Magistri.[36]

V. De separatione ab instituto

11. Quae in Codice Iuris Canonici statuuntur in Titulis XIV, XV et XVI [37] a Consultoribus Coetus nostri sat profunde recognita sunt et

[32] Cfr. Decr. *Perfectae caritatis,* n. 2, a.
[33] Cfr. Const. dogm. *Lumen gentium,* cap. VI, nn. 43, 44, 46.
[34] Cfr. Decr. *Perfectae caritatis,* n. 14.
[35] Cfr. *Ibid.,* nn. 5, 6.
[36] Cfr. *Ibid.,* nn. 2, 6, 15.
[37] Cfr. Cann. 632-672.

collecta inveniuntur in Titulo VII Primae Partis Schematis Generalis, qui suprapositam refert rubricam et in quatuor breves articulos dividitur.[38] Motiva huius veluti radicalis discessus a iure condito in hac materia invenienda sunt in implexitate vigentis legislationis et consequenti difficultate illam adhibendi in praxi necnon in varietate procedurae adoptatae pro dimissione sodalium diversae categoriae, quae nunc amplius admitti non potest. Nam, in iure novo non agitur simpliciter de religiosis sed de sodalibus omnium institutorum perfectionis. Item distinctio inter religiosos a votis sollemnibus et illos a votis simplicibus non apparebit amplius in iure communi. Distantia vero inter instituta exempta et illa non exempta eorumque sodales notabiliter in iure deminuta est. Tandem recursus ad S. Sedem, quos haec legislatio imponit, immoderati videntur.

Omnibus, qui consuetudinem quandam habent cum applicatione istius legislationis, et potissimum sectionis quae respicit dimissionem religiosorum, bene nota est difficultas quam haec procedura in praxi secumfert, maxime quando instructio processus iudicialis fit necessaria.[39] Non est dubium quin sodalis quem instituti moderatores dimittere cupiunt protectionem iuris habere debeat et abs dubio ei concedendum est ius sese defendendi. Iustitia est adamussim servanda et recte administranda. Sed haec iustitiae administratio respicere debet etiam institutum eiusque iura defensionis. Aliis verbis, instituta habere debent apta et expedita media quibus efficaciter sese munire possint adversus sodales qui dolo, vel actione inconsulta, in periculum ponunt bonum commune institutorum. Damnum grave quod ab his sodalibus causari potest, sive materiale sit sive morale, attente ab auctoritate competenti ponderari debet et cum plena serenitate. Sed legislatio non debet difficillimam reddere dimissionem sodalium etiam quando clare constat de gravi culpabilitate sodalis vel de eius completa inidoneitate ad vitam instituti ducendam. Re quidem vera, difficultas applicationis legis conditae in hac parte auctoritati competenti Ecclesiae suasit ut varia adoptaret media ad proceduram magis agilem reddendam. Et hoc etiam fuit propositum Consultorum nostri Coetus Studiorum in suggerenda globali recognitione huius sectionis iuris. Esset nimis longum ad particularia descendere in hac parte, sed brevia delineamenta tradentur ut maiores saltem differentiae inter ius conditum et legislationem propositam percipi possint.

[38] Cfr. *Communicationes*, 2, 1970, n. 5, p. 175.
[39] Cfr. Caput III, Tituli XVI, Libri II, C.I.C., cann. 654-668.

12. Quod attinet ad transitum sodalis ab uno instituto ad aliud, de quo in Articulo I Tituli VII, negotium reservatur Supremis Moderatoribus utriusque instituti, de consensu sui cuiusque consilii. Recursus ad S. Sedem necessarius amplius non aestimatur. Cetera praescripta canonum 633-635, 1° quoad substantiam servata manent, ampliata tamen et correcta ut includantur etiam sodales institutorum quae religiosa non sunt et consilia assumunt voto religioso non firmata.[40]

Articulus II Tituli VII Primae Partis schematis propositi normas statuit: « De egressu ab Instituto ».[41] Praescripta vero quinque canonum quae sub hoc Articulo ponuntur valde differunt ab illis quae sub Titulo XV, Libri II Codicis vigentis inveniuntur. Indulta exclaustrationis et saecularizationis non amplius apparent in proposita legislatione. Nam, huiusmodi indulta concordare non possunt cum ratione vitae sodalium Institutorum saecularium et indultum exclaustrationis vix applicari potest institutorum sodalibus qui cooptati sunt in societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis.[42] Idem dici debet de apostatis a religione et de fugitivis.[43] Quaestio vero de exercitio ordinis sacri eorum qui ab instituto separantur non consideratur hoc loco sed fit praescriptum generale in Articulo IV huius tituli.

Casus qui in canonibus Tituli II considerantur sunt sequentes: *a*) Sodalis, qui per aliquod tempus extra institutum vivere vult ob gravem causam, licentiam petere potest a Supremo Moderatore instituti. Concessio, quae fit audito consilio et per tempus quod triennium non excedit, relinquit sodalem adstrictum sacris ligaminibus, sed solutum ab obligationibus quae cum sua nova vitae conditione componi non possunt. Manet sub cura suorum moderatorum sed caret voce activa et passiva; *b*) Qui vult derelinquere institutum expleto tempore cooptationis libere potest discedere. Qui tamen discedere vult perdurante cooptatione temporanea potest petere indultum discedendi a Supremo Moderatore de consensu sui consilii. Quo in casu, liberatus manet ab omnibus ligaminibus et obligationibus e cooptatione ortis; *c*) Si vero sodalis sit definitive cooptatus, imprimis requiruntur gravissimae causae et indultum discedendi obtinere potest a Supremo Moderatore instituti de consensu sui consilii, quod tamen numquam valide datur si consiliarii

[40] Difficultas quaedam oriri potest si religiosus vult transire ad institutum in quo vota non noncupantur. Sed puto cooptationem in novo instituto effectus et obligationes ex voto provenientes delere.

[41] Cfr. *Communicationes* 2, 1970, n. 5, p. 175.

[42] Cfr. Tit. XVII, Libri II, C.I.C. can. 673-681.

[43] Cfr. cann. 644-645.

non sint saltem quinque et suffragium secreto non feratur. Etiam in hoc casu indultum, quod in scriptis dari debet, ipso iure sodalem solvit ab omnibus ligaminibus et obligationibus a cooptatione ortis; *d*) Sodalis qui illegitime sese subducit a communione cum instituto et a potestate suorum moderatorum ab istis sollicite quaerendus est et caritative adiuvandus ut redeat et in sua vocatione perseveret. Si tamen intra tempus a iure particulari definitum, numquam tamen trimestre brevius, non redierit vel duae monitiones in cassum cesserint, dimittendus est decreto Supremi Moderatoris instituti de consensu proprii consilii.[44]

13. In sessione nona nostri Coetus, quando salebrosa quaestio de dimissione sodalium excussa fuit et pertinentes canones approbati, Consultores decisionem tulerunt e medio auferendi omnes distinctiones quae in Titulo XVI, Libri II Codicis vigentis inveniuntur quaeque causa sunt diversitatis procedurae.[45] Existimarunt Consultores parum referre ad negotium de quo agitur utrum sodalis dimittendus pertineat ad institutum religiosum vel ad institutum perfectionis alius generis, utrum vota quae in instituto emiserit sint sollemnia vel simplicia, utrum institutum a quo sodalis dimitti debet sit exemptum vel non, iuris pontificii vel dumtaxat iuris dioecesani. Procedura igitur uniformari debet et etiam simplificari. In novo schemate Articuli III, Tituli VI,[46] quod ex quinque componitur canonibus, quatuor distincti casus dimissionis considerantur, nempe: *a*) dimissio sodalis temporarie cooptati; *b*) dimissio sodalis post expletam cooptationem temporariam; *c*) dimissio sodalis definitive cooptati et *d*) dimissio immediata sodalis ob quaedam delicta commissa vel ob periculum gravissimi et imminentis scandali vel damni. Pauca dicemus de unoquoque casu.

14. *a*) Sodalis temporarie cooptatus dimitti potest a Supremo Moderatore instituti proprii de consensu consilii ob causas graves, si autem culpabiles sint dimissioni praecedere debent monitiones scriptae quae inutiles evaserint. Dimissio ob infirmam valetudinem fieri non potest, nisi infirmitas dolose celata fuerit ante cooptationem vel, de peritorum sententia, talis sit ut urgeat necessitas dimissionis ad damnum vitandum, sive sodali sive instituto. Sodali dari debet plena libertas sese defendendi ac proinde causae dimissionis sunt ei semper manifestandae.

[44] Cfr. can. 645, § 2.
[45] Cfr. cann. 647, 649, 652, 654.
[46] Cfr. *Communicationes*, 2, 1970, n. 5, p. 175.

Responsiones eius submittendae sunt Supremo Moderatori eiusque consilio.[47]

b) Si ob gravia motiva sodalis dimitti potest quando adstrictus invenitur vinculis cooptationis temporariae, nullum adest dubium quin dimitti etiam possit expleta cooptatione temporaria, quando illa vincula amplius non exsistunt. Forsan melius diceretur quod sodalis in casu non admittitur ad cooptationem definitivam faciendam vel prohibetur a cooptatione temporaria renovanda. Cum autem cooptatio temporaria det sodali ius ad cooptationem definitivam vel ad renovandam cooptationem temporariam ad normam iuris particularis nisi obstent impedimenta, ad dimittendum sodalem in hoc casu requiritur iusta ac rationabilis causa, sive ex parte candidati sive ex parte instituti, quae potest esse etiam infirmitas physica vel mentalis quae, iudicio peritorum, candidatum inidoneum reddit ad vitam in instituto ducendam absque damno proprio vel instituti. Caritas tamen et aequitas semper servari debent in his casibus.[48] Dimittit moderator competens iuxta ius particulare.

c) Dimissio sodalis definitive cooptati est actus sat gravis ac propterea peculiaribus cautelis adhibitis fieri debet. Auctoritas dimittens per decretum est Supremus Moderator instituti de consensu sui consilii quod minus quam quinque membris constare non potest et consensus per secreta suffragia manifestandus est. Ut dimissio decerni possit requiruntur imprimis causae graves, culpabiles, de quibus iuridice constet. Dimissioni praecedere debent duae monitiones canonicae quae in cassum cesserint. In qualibet monitione formaliter comminari debet subsecutura dimissio si sodalis non recesserit a contumacia. Causae dimissionis sodali manifestandae sunt in qualibet monitione et ei relinquenda plena libertas respondendi. Quae responsiones, in scriptis redactae, simul cum omnibus actis submittendae sunt examini Supremi Moderatoris eiusque consilii. Decretum dimissionis tamen dari non potest nisi transacto tempore definito a iure particulari ab ultima monitione.

d) Propter difficultates et dubia quibus ansam praebuit, Consultores nostri Coetus noluerunt admittere in ius recognitum dimissionem quae ipso iure seu ipso facto locum habet ad normam can. 646. Quare in casibus a iure statutis non sufficit amplius ut moderator maior cum capi-

[47] Cfr. can. 647. Non apparet ratio quare in institutis iuris dioecesani decretum dimissionis debet dari ab Ordinario loci.

[48] Cfr. can 637. Attenta experientia, Coetus noster necessarium aestimavit admittere inter causas iustas et rationabiles pro exclusione a cooptatione definitiva, vel a renovanda temporaria, etiam infirmitatem physicam vel mentalem, sub conditionibus tamen supra expositis.

tulo vel consilio declarationem facti emittat, sicut praescribitur in § 2 citati canonis. In quolibet casu requiritur decretum dimissionis Supremi Moderatoris instituti de consensu sui consilii, quod tamen dari potest statim ac constiterit de existentia facti requisiti ad dimissionem decernendam. Quibusdam forsan incongruum videri possit hoc negotium reservare Supremo Moderatori eiusque consilio ob periculum quod in mora haberi potest istis in casibus. Nihilominus, Consultores necessarium duxerunt reservationem facere propter rei gravitatem. Ceterum, nostris diebus communicationes tam celeres sunt ut casus periculi in mora considerari debeant tamquam exceptionales.

Casus pro quibus immediata dimissio decerni potest in canone proposito aliquantulum differunt ab illis qui enumerantur in can. 646, § 1. Veniunt imprimis sodales qui apostasiam, heresim vel schisma publice professi fuerint, nominantur deinde sodales qui matrimonium, etiam civile tantum, contraxerint vel attentaverint et tandem includuntur qui culpabiliter causa fuerint imminentis et gravissimi damni erga institutum vel scandali exterioris.[49]

In quolibet casu dimissionis legitimae cessant ipso iure omnia vincula necnon iura et obligationes ex cooptatione promanantia.[50] Hoc proponitur a Coetu ut subveniatur conditioni revera difficili eorum qui dimittuntur ab instituto, firmis oneribus ex cooptatione ortis, iuxta praescripta cann. 669-672. Vincula huiusmodi generatim ad nihil aliud inserviunt quam ad multiplicandas violationes et peccata.

Decreta dimissionis de quibus supra sub litteris *a*), *c*), *d*) quamprimum communicanda sunt sodalibus quibus interest, data eisdem facultate recurrendi ad Sedem Apostolicam intra decem dies cum effectu suspensivo.

15. Consultores ad simpliciorem formam conati sunt reducere praescriptum quod normam statuit de iuridica conditione eorum qui ab instituto separati manent sive per egressum sive per dimissionem.

Propter praescriptum supra descriptum, iuxta quod legitima dimissio ipso facto solvit dimissum ab omnibus vinculis et obligationibus et tollit iura ex cooptatione promanantia, quaestio restringitur ad sodales egressos vel dimissos qui in sacris ordinibus inveniuntur iam consti-

[49] Cfr. can 646, § 1. Inter casus pro quibus immediata dimissio decerni potest non fuit enumeratus 2us huius paragraphi. In praxi non est facile determinare quando revera sodalis fugam arripit cum muliere et viceversa.

[50] Cfr. can. 648.

tuti. Ad hoc ut isti sacrum ministerium post egressum vel dimissionem exercere valeant requiritur et sufficit ut a proprio vel ab alio Episcopo dioecesano rite admittantur.[51] Ad eumdem pertinet decernere utrum clericos praedictos recipere velit pure et simpliciter vel pro experimento ad tempus. Quaestio de sodalibus in ordinibus minoribus constitutis amplius oriri non potest, quia per Litteras Apostolicas Motu Proprio datas « Ministeria quaedam », diei 15 mensis augusti 1972, isti ordines aboliti sunt et uti « ordines » amplius non existunt.[52]

Erga omnes sodales qui uno vel alio modo ab instituto separantur exhibenda est ab eodem congruens sollicitudo ut in miseria et egestate vitam agere non cogantur sed quamprimum media inveniant quibus honeste vivere valeant. Hoc videtur postulare aequitas et caritas evangelica.

In relatione quam Supremus Moderator instituti mittere tenetur Sedi Apostolicae statis ab eadem temporibus, iuxta praescriptum canonis propositi in titulo « De regimine institutorum », mentio fieri debet de omnibus sodalibus qui quomodocumque separantur ab instituto, sive quia ad aliud institutum transeunt, sive quia sponte petuunt ut egrediantur, sive quia ad normam iuris a competenti auctoritate dimittuntur.[53]

VI. De schemate secundae partis seu partis specialis

16. Iam supra expositum est quomodo Coetus noster Studiorum, qui in sessione sexta partem secundam seu specialem Schematis Generalis, « modo omnino provisorio delineatam », generaliter approbaverat, illam profundiori examini subiecit in sessione decima secunda, quae locum habuit diebus 22-27 mensis novembris 1971.[54] In hac sessione Relator proposuit examini Consultorum novum Schema partis specialis seu Partis Secundae quod numerosas emendationes inducit in schemate « generaliter » approbato in sexta sessione.[55] Rubrica Partis Specialis, quae

[51] Cfr. cann. 641, 642.

[52] Cfr. *A.A.S.*, 64, 1972, 8, p. 529-534.

[53] Opportunum videtur praescriptum condere quo urgetur obligatio ex parte Moderatoris Supremi instituti mentionem faciendi de omnibus separatis ab instituto in relatione mittenda ad S. Sedem. Est cautela ut praesertim dimissiones magna cum prudentia fiant.

[54] Cfr. supra, n. 4, pp. 49-50; cfr. etiam *Communicationes*, 2, 1970, p. 176, n. 6.

[55] Cfr. *Communicationes*, 2, 1970, p. 175-176, n. 5.

prius ita inscribebatur: « De iis quae *nonnullis* Institutis Perfectionis sunt propria », in sequentem mutata est: *De iis quae singulis Institutorum generibus sunt propria.* Re enim mature perpensa, Relatori visum est necessarium rubricam ita mutare quia canones quidam ponendi erunt *pro qualibet suprema categoria institutorum perfectionis.* Subdivisio partis specialis in *Sectiones* non videbatur opportuna et propterea propositum fuit ut pars divideretur immediate in *Titulos,* sicut prima pars schematis divisa est. Titulus I retinet rubricam Sectionis Primae: « *De Institutis monasticis* » et subdividitur in duos Articulos, quorum primus agit « de monachis » dum secundus normas statuit « de monialibus ». Supprimitur Titulus III schematis praecedentis cuius rubrica erat: « De clausura monialium », quia abs dubio non erit necessarius integer titulus ad pauca praescripta quae de hac materia ponenda erunt. Etiam Titulus II retinet rubricam quam Sectio Secunda praeseferebat: « *De Institutis religiosis operibus apostolatus deditis* ». Subdivisio tamen quae in praecedenti schemate apparebat, nempe: Titulus I: « De Institutis religiosis clericalibus » et Titulus II: « De Institutis religiosis laicalibus », mutata est in sequentem: Art. I: « *De Institutis canonicorum* », Art. II: « *De Institutis conventualibus* », Art. III: « *De Institutis apostolicis* ». Ratio suppressionis prioris subdivisionis et adoptionis praesentis in hoc consistit: distinctio institutorum perfectionis in clericalia et laicalia neque propria est institutorum religiosorum, neque notas peculiares manifestat diversarum specierum horum institutorum, neque directe connectitur cum apostolatu quem sodales institutorum exercent. Nova subdivisio e contra distinguit varias categorias institutorum religiosorum operibus apostolatus deditorum per notas proprias et peculiares atque indicat distinctum gradum apostolatus quem quaevis categoria exercet. Rubrica Sectionis Tertiae praecedentis schematis quae ita inscribebatur: « De Societatibus vitae communis », mutata est in sequentem: « Titulus III: *De Institutis apostolicis non religiosis* ». Difficultatem non parvam invenit Relator in determinanda rubrica quae apta sit ad propriam naturam horum institutorum manifestandam. Nam vita communis non est nota specifica horum institutorum, quae eminenter apostolica apparent, nec verum est omnia huiusmodi instituta vota non admittere sicut affirmatur in rubrica Tituli XVII, Libri II Codicis Iuris Canonici. Verum est etiam rubricam nunc admissam non perfecte satisfactoriam esse quia modo negativo exprimitur et dicit potius quod haec instituta non sunt. Quare haec rubrica « ad interim » admissa est a Relatore. Forsan ex discussione alia melior et clarior resultare poterit. In Sectione Quarta nihil mutatum est praeterquam ipsa sectio quae nunc

apparet uti Titulus IV: « *De Institutis saecularibus* ». Sectio Quinta praecedentis schematis, quae rubricam habebat: « De Institutis exemptis », supprimitur quia instituta exempta non constituunt aliquam categoriam exclusivam. Possunt enim esse vel monastica vel religiosa apostolica vel non religiosa. Ceterum non videtur necessarium integrum titulum dedicare huic quaestioni et etiam locus forsan non est aptus. De his quaestionibus Coetus decisionem ferre debebit tempore opportuno. Loco sectionis quintae introducitur in schemate Titulus V: « *De vita eremitica* ». Ratio introducendi istum titulum invenitur in petitionibus quae ad nos pervenerunt ut in iure recognitio haberetur agnitio vitae eremiticae erga quam percipitur quidam motus in variis partibus orbis. Motus iste non coarctatur ad instituta monastica vel ad alia instituta perfectionis sed includit etiam simplices christifideles.

17. Propositum schema Secundae Partis examini et longae discussioni subiectum fuit in memorata sessione decima secunda et tandem approbatum fuit cum unica emendatione. Titulus III nempe, cuius rubrica erat: « De Institutis apostolicis non religiosis », aliam enunciationem habuit, magis positivam: « *De aliis Institutis apostolatui deditis* ». Disceptatio tamen circa schema Secundae Partis hic terminum non habuit. Post profundiorem totius materiae considerationem et attentis animadversionibus quorumdam Consultorum, Relator, in fine sessionis decimae quartae, emendatum Schema Partis Secundae Coetui Studiorum praesentavit et Consultores humaniter rogavit ut in scriptis ei mitterent proprias observationes, cum tempus tunc non suppetebat ad schema propositum discutiendum. Mutationes quae proponuntur in hoc schema, a « Parvo Coetu Consultorum » approbatae, sunt admodum simplices et nullam secumferunt difficultatem. Prima emendatio ponit omnes categorias institutorum perfectionis in duas magnas sectiones. Prima sectio quae appellatur: « *De Institutis religiosis* », includit sub distinctis titulis Instituta monastica et Instituta religiosa operibus apostolatus dedita cum propriis subdivisionibus, de quibus sermo erat in praecedenti schemate. Secunda sectio vero vocatur: « *De aliis Institutis perfectionis* » *vel* « *De Institutis non religiosis* » et includit tam alia instituta apostolatui dedita (quae in primo schemate veniebant sub nomine: « Societatum vitae communis » quam « Instituta saecularia »). Coadunatio institutorum monasticorum et aliorum institutorum religiosorum apostolatus operibus deditorum sub rubrica: « De Institutis religiosis » faciliter explicatur. Omnia enim illa instituta sunt stricto

sensu instituta religiosa. Si vero non ponantur sub eodem genere quis posset credere instituta monastica religiosa non esse; quod verum non est. Reliqua vero instituta sub eadem sectione ponuntur eo quod conveniant in hoc quod religiosa non sint. Altera emendatio respicit titulum quintum praecedentis schematis, cuius rubrica erat: « De vita eremitica ». Titulus iste supprimitur. Re melius perpensa, Relator cum aliis Consultoribus « Parvi Coetus » putarunt immodicum esse titulum integrum huic materiae dedicare. Sufficeret ut unus canon conficeretur et poneretur inter canones praeliminares secundae partis schematis.

18. Schema propositum et in praecedenti numero expositum Consultoribus placuit. Quidam tamen eorum animadverterunt rectum non videri sub una sectione coadunare « Instituta alia apostolatui dedita », quae in primo schemate appellabantur « societates vitae communis », et « Instituta saecularia ». Haec enim indole et fine nimis inter se differunt et absonum apparet ea sub una sectione ponere quia in hoc conveniunt quod religiosa non sunt. Quod erratum non videtur. Quapropter Relator aliud schema Secundae Partis confecit iuxta placita Consultorum illudque subiecit examini membrorum « Parvi Coetus ». Hac nacta occasione nisus factus est ut accommodata appellatio inveniretur pro institutis apostolicis non religiosis, quae in primo schemate vocabantur: « Societates vitae communis ». Ita, tandem Consultores pervenerunt ad decisionem appellandi has societates: « *Instituta vitae apostolicae consociatae* » et hanc adhibendi phrasem tamquam rubricam tituli in quo de his societatibus agitur. Existimarunt Consultores huiusmodi appellationem naturam istarum societatum melius exprimere quam alias hucusque adhibitas tum a Codice Iuris Canonici,[56] tum ab ipsis Consultoribus in aliis schematibus propositis. Hae namque societates, quae vera instituta organizata in Ecclesia sunt, eminenter apostolicae apparent et ad opera quaedam apostolica melius et efficacius exercenda conditae sunt ab earum fundatoribus. Ipsa earum vita communitaria, potius quam elementum indispensabile vitae membrorum, apparet tamquam medium ad apostolatum directum.

Sequens igitur est schema Secundae Partis tam laboriose apparatum quod, post approbationem Consultorum Parvi Coetus, erit examinandum in proxima sessione plenaria Coetus Studiorum. Patet igitur

[56] Cfr. rubricam Tit. XVII, Libri II, C.I.C.

quod lectores illud considerare debent tamquam simplex propositum. In proxima relatione exitus disceptationis indicabitur.

PARS SECUNDA SEU SPECIALIS (De iis quae singulis Institutorum generibus sunt propria)	*Titulus I:* De Institutis Religiosis	CAP. I: De Institutis Monasticis Art. I: De Monachis Art. II: De Monialibus
		CAP. II: De Institutis operibus apostolatus deditis Art. I: De Institutis Canonicalibus Art. II: De Institutis Conventualibus Art. III: De Institutis Apostolicis
	Titulus II: De Institutis Vitae Apostolicae Consociatae	
	Titulus III: De Institutis Saecularibus.	

VII. NOTITIAE QUAEDAM DE ARGUMENTO SECUNDAE PARTIS SCHEMATIS

19. Quamvis canones inserendi in hanc secundam partem schematis magna ex parte iam parati sint atque a Coetu nostro Studiorum in variis sessionibus plenariis approbati, nullus tamen ex tribus Titulis hanc partem secundam constituentibus dici potest undequaque absolutus. Sicut luculenter apparet ex iis quae supra exposita sunt circa formulationem ipsius schematis partis secundae, non raro necessarium est redire ad canones vel partes, quae completae aestimabantur, ad aliquid addendum, tollendum vel corrigendum. Et hoc pluries verum evasit quoad varias subdivisiones huius partis, tam propter peculiares difficultates quam propter novitatem methodi adhibitae. Quam ob rem, opportunum non videtur in hoc stadio laborum particulatim loqui de qualibet subdivisione huius partis. Haud dubie hoc possibile erit in proxima relatione. Quaedam tamen generaliori modo iam nunc manifestari possunt.

Universae Parti Secundae praeponuntur quidam canones praeliminares tamquam accommodata introductio ad praescripta magis specifica

unamquamque categoriam institutorum perfectionis respicientia. Primus canon peculiare induit momentum, eo quod explicite agnoscat admirabilem varietatem institutorum in Ecclesia Christi provenire ex germine divinitus dato [57] et fundatores Spiritu Sancto afflante ea constituisse, secundum gratiam quae data est eis.[58] Consequenter, fundatorum mens atque proposita circa naturam, finem et indolem instituti, sicut et sanae traditiones constituunt pro quolibet instituto patrimonium pretiosissimum quod religiose servari debet. Haec elementa quae fundamentalia vocari possunt locum invenire debent in codice praecipuo instituti et numquam mutari possunt absque beneplacito competentis Auctoritatis Ecclesiae, quae ea iam approbaverat. Ceterae vero normae ad vitam, regimen et disciplinam instituti pertinentes remanent sub competenti auctoritate interna instituti et recognosci et aptari possunt secundum necessitates exurgentes.[59] Instituta prudenter procedere debent in formulatione proprii iuris particularis. Normae absque vera necessitate non sunt multiplicandae et cura adhibenda est ut spiritualia et iuridica apte consocientur. Liber statutorum non debet esse mera lectura spiritualis vel aridus elenchus normarum iuridicarum.[60]

Iam supra dictum est canonem de vita eremitica inter canones praeliminares ponendum esse. Cum tamen praescriptum paratum indigeat adhuc approbatione Consultorum Coetus Studiorum, de eo nihil in praesenti dici potest.

20. Principia directiva a Coetu nostro adoptata initio fere laborum et constanter applicata in selectione et redactione canonum Primae Partis Schematis, etiam in opere conficiendi canones Secundae Partis nobis magno adiutorio fuerunt. Methodus adhibita etiam in hac secunda parte semper fuit ut praescripta omnino necessaria dumtaxat admitterentur. Etiamsi tenoris magis specifici, canones huius partis universales remanent et flexibiles ut absque difficultate et damno applicari possint omnibus institutis illius categoriae ad quam pertinent, attentis quoque indole et fine cuiusque instituti.[61] Quapropter, canones admissi pro qualibet specie atoma institutorum numero pauci sunt. Quoniam vero in primo Titulo normae tradendae sunt quae respiciunt

[57] Cfr. Const. dogm. *Lumen gentium,* Cap. VI, n. 43.
[58] Cfr. Decr. *Perfectae caritatis,* nn. 1, 8.
[59] Cfr. Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae,* II, Pars I, nn. 6-19: *A.A.S.* 58, 1966, 11, pp. 776-777.
[60] Cfr. *Ibid.,* nn. 12b, 13.
[61] Cfr. *Communicationes,* 2, 1970, pp. 170-172, n. 3.

multitudinem institutorum religiosorum cum omnibus suis distinctionibus et speciebus, necessarium duxerunt Consultores quosdam canones communes introducere circa elementa essentialia vitae religiosae et circa obligationes communes quae ex votis religiosis oriuntur.

Monachi diversorum institutorum semel atque iterum conquesti sunt de modo agendi legislatoris in Codice vigenti, ubi eos fere complete consociat cum aliis speciebus religiosorum et insistenter petierunt ut statutum speciale pro eis conficeretur in iure recognito.[62] Coetus Consultorum petitionem eorum acceptavit et quosdam canones exaravit naturae et conditioni institutorum monasticorum accommodatos. Nemo tamen putare debet instituta monastica ceteris categoriis anteposita fuere. Etenim, si schema Secundae Partis bene consideretur, quaelibet species institutorum perfectionis ibidem statutum proprium invenire potest. Quidam nempe canones apti — ut credimus — iam parati sunt non solum pro institutis monasticis sed etiam pro institutis religiosis operibus apostolatus deditis, sive haec sint canonicalia, sive conventualia sive tandem apostolica, pro institutis vitae apostolicae consociatae et proxime conficientur canones respicientes instituta saecularia. Expositio magis ampla horum omnium differenda est usquedum secunda pars absoluta sit et omnes canones approbati a Coetu Studiorum.

Finis igitur hic imponitur huic relationi cum promissione tamen praebendi lectoribus alias notitias et ampliorem expositionem propositi iuris recogniti instituta perfectionis respicientis, praesertim vero quod attinet ad secundam partem Schematis Generalis (P. Marcus Said O.P., *Relator*).

[62] Cfr. Propositum Monasticum de Codice Iuris Canonici recognoscendo, a Consilio Monastico Iuris Canonici apparatum, in *Jurist*, vol. XXVI, 1966, n. 3.